

Exercitatio physico-medica de mentis morbis, : ex morbosa sanguinis circulatione ortis, ... / moderante ... Friderico Hoffmanno ... eruditorum examini in auditorio majori. Ad D. Mens. Maj. MDCC. exhibet & offert autor Johannes Jacobus Stangius.

Contributors

Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.
Stange, Johann Jakob, active 1700-1702.
Universität Halle.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Literis Chr. Henckelii, [1700]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b87qqjqb>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

De

MENTIS MOR- BIS,

EX MORBOSA SANGVINIS CIR- CULATIONE ORTIS,

Quam

INITIANTE MENTIS AUTORE

In Illustri Fridericiana

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO IUVENTUTIS PRINCIPE

AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

ELECTORATUS BRANDENBURGICI HÆREDE, AC RELIQUA,

Nec non

MODERANTE VIRO EXCELLENTISSIMO

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,

M. D. ejusdemque ut & Philos. Nat. P. P. Celeberrimo,

Præceptore ac Patrono pia & nunquam intermoritura veneratione deprecando,

Publico & libero, placido tamen & æquo Eruditorum examini

IN AUDITORIO MAJORI.

Ad D. Mens. Maj. MDCC.

Exhibet & offert

AUTOR

JOHANNES JACOBUS STANGIUS,

Serveſta-Anhaltinus.



EXERCITATIONIS PHYSICO-MEDICÆ
De
MENTIS MORBIS
EX MORBOSA SANGUINIS CIRCULATIONE ORTIS

PROTASIS.



Solius corporis humani curam ad Medicum spectare, huiusque totam scientiam in illius consideratione & medela occupam esse qui putant, næ nimis angustos Medicinæ, quæ amplissimo gaudet ambitu & circa eminentio-

ra versatur pariter & nobiliora, limites ponunt, & minus rectè de egregio illius studio sentiunt aut iudicium ferre valent. Quid amabo aliud est Medicina, nisi vera Philosophia, & cuinam magis isthæc dedita & intenta est, nisi comparandæ valetudini cùm mentis tum corporis, ut adeò Medicina genuina Philosophiæ sit proles. Veritati itaque magis consentaneum est, si quod sibi jampridem vindicat, excellentius relinquimus objectum, quoniam dicente Heurnio in Institut. p.58. *Medicina non in solius corporis, sed hominis, qui ex animo & corpore constat, co-*

gnitione versatur. Quò corpori luctandum sit cum hydra lernæa novos subinde morbos inferente & gravissimæ ἀτρονίας & turbæ hinc assurgant, quivis propria indutus & convictus infirmitate communi hominum næniæ subscribere cogitur: mentem verò æquè morbis, qui Medici ope indigeant, tentari, haud pauci forsan erunt, qui illud in dubium vocare se posse existiment, & ut sibi videntur, non destituti ratione, cùm mens, (liceat uti verbis Senecæ in Epist. 66.) *ut pars divini Spiritûs in corpus humanum mersa*, non possit morbidum statum incurrere, quem Medicus ullis remediis corrigere & emendare noverit. At aliter sentient, postquam nobiscum consortium animæ, quo cum corpore arctissimè unita est, paulò accuratius trutinaverint, & quanta unius in alterum vis sit atque potentia, edocti fuerint. Ut enim mens immaterialis, adeò firmiter tamen corpori materiali inhæret, ut hoc labefactato, turbulentas exerat motiones & gravissimum periculum homini inde immineat. Imò longè gravius est malum morbus animi quàm corporis, quandoquidem iste in efferos motus deductus non tam citò nec tam commodè remediis cedit. Minimè itaque nos à vero aberrare persuasi sumus, si non corpus solum sed & animum dicamus causarium, hujusque anomalos motus ex prohibito sanguinis cursu naturali circulatorio deducamus. Quomodo enim *animus sine perturbatione* esse poterit, nî *corpus fuerit sine dolore*, ex quo utroque bene se habente ceu duplici bono *summum beatumq;* componi referente Seneca l. cit. Epicurus statuit. Unde quæso languor, mœror, furor & omnis dubius mentis status? nisi à sanguinis circumflui vitio. Fluctuat animi valetudo, titubat ἐν θορυβῷ, vacillante sanguinis legitima circulatione. Ut animus serenus efficiatur ipsique medela procure-

curetur, restitue prius debitum sanguinis circuitum. Quam insignem de Mentis Morbis ex irregulari sanguinis circulo inductis materiam à plurimis ferè neglectam aut non satis pensitatum, loco Speciminis Academici sub Summi Numinis auxilio præ aliis eligere, scrutari atque penitus eruere nobis non inutile visum fuit, cujus ardua investigatio me nondum diu stationem Medicam peragentem ab incepto nequiquam deterrere valuit, sed tantò majorem stimulum proficua ejus in Medicina consideratio addidit,

Cùm studii finis mihi sit, ne mente laborem,
Quæ bona quæ fiat, nos Medicina docet.

§. I.

Divinam & immortalem Mentis profapiam in ergastulo mutationi ac corruptioni obnoxio coruscantem sacra vestigatione prosequentes, nunquam satis mirari atque deprædicare possumus præclarissimam istius divinæ portionis naturam atque virtutem, quam proin ex voto perscrutari non integrum est, adeò ut quod S. Augustinus l. II. Confess. de tempore edisserebat, potiori jure de anima enunciare liceat; *quid est anima? quis hanc facile explicuerit? Si nemo à me quærat, scio, si quærenti explicare velim, nescio.* Mens utut originis suæ probè conscia, quæ omnia in mundo metiri atque comprehendere novit, sui tamen ipsius quasi ignara & essentia suæ nescia, ita ut dum in se descendit, incunabula sua extra se requirat, & ad Autorem suum, cujus similitudo quædam est ac imago, submissa deveneratione recurrat. Major adhuc nos rapit admiratio, quando singularis Dei T. O. Sapiencia atque Majestas ex artificiocissimo mentis cum corpore vinculo elucescit. En! mens quæ in se libera est & indefinita, domicilii hic circumscribitur terminis; mens, inquam, quæ immaterialis & cogitans est, in corpore materiali & organico actiones & operationes suas exerit dirigitque. O profundam & mysterio ple-

nam summi Creatoris Sapientiam! Quid ergò mirum, quòd in
iis, quæ ingenii nostri modulum tranſcendunt, mentem no-
ſtram clarè exponere non datum ſit, hinc ſatis nobis erit, modò
iſta, quæ ad rem noſtram propius faciunt, explanaverimus,
quare antequam ad ipſam morborum mentis conſiderationem
deveniamus, quædam circa mentem ejusque tranquillum ſta-
tum ex æquabili ſanguinis circumactû exſurgentem breviffimè
præmittere atque prælibare conſultum ducimus.

§. II. Immaterialem & corporeâ prorfus alienam homini
conceſſam eſſe ſubſtantiam, nullus, ut opinamur, erit, qui de
ea etiamnum dubium fovere poſſit, dum actiones & func-
tiones, quas mente peragimus, ex materiali principio derivari
nequeunt. Aut ſi quis erit, qui *balitu iſto divino*, quo *JEHO-*
VAH primum hominem afflavit, animam materiale evincere ſe-
riò intendat, ei demum probandum incumbit, num gratioſiſ-
ſimum illud *accipite Spiritum Sanctum* per divinum aſſatum à Ser-
vatore noſtro diſcipulis & Apoſtolis ſuis conceſſum ſenſu ma-
teriali & corporeo accipi queat, quod ſi dicatur, maximè erro-
neum eſſet & manifeſtò S. Scripturæ, Omnipotentix & Bonita-
ti divinæ nec non ſanæ rationi repugnaret. At illorum refu-
tatione hic ſuperſedeo, cum uno ictu, quæcunque proferantur
argumenta, facile evertantur & corruant. Quis enim non vi-
det effectus diſtinctiſſimos in corpore & anima, quorum illi ex
mechanismo homini ac brutis communi, hi verò ex moralismo
& immaterialitate (ſit venia verbo) deducendi veniunt, ut diver-
ſiſſimos adeo de utriusque ſubſtantia formare debeamus con-
ceptus. Senſus enim occaſiones quaſi & anſas ſubminiſtrant,
ad quas mens concurrit, ad eas attendit, reflectit, easque diju-
dicat. Quam quidem ſententiam quoque ſuſtinuiſſe legimus
Tauvry in ſua Anatom. Ration. p. 283. ubi inquit: *modifications*
organorum, quæ ad cerebrum uſque continuantur, nihil eſſe poſſe quàm
cauſas occaſionales noſtrarum cogitationum. Vel ut ſubtilis Sca-
ligeri l. de Subtil. ad Card. Exerc. CCCVII. §. effatum eſt: *Anima*
implicita corpori per ejus officiales atq; adminiſtras partes recipit im-
preſſiones. Fit ergò tum talis, quales illæ ſunt. Eſt quippe anima
inſtar

instar speculi, quod uti radios recipit & de se spargit, ita & ista objectorum, quæ sensus feriunt, præsentia ansam accipit de iis cogitandi indeque motus animales dirigendi. Exinde variæ emanant actiones ac passionēs, ut sensationibus conformes fiant cogitationes, & id dicimus *σύνπραξις* & unionem mentis atque corporis, qua homo ex beneplacito summi Numinis solus gaudet.

§. III. Hæ binæ substantiæ, utut singulæ separatim existere potuissent, Omnipotenti tamen Creatore sic volente tam arctissimo junctæ & unitæ sunt fœdere, ut una valente & vigente & altera vigeat, altera verò in muniis suis turbata & altera quoque officiis suis obeundis non amplius par sit. Ut verò anima & corpus amicè conspirent, utraque valeant, & iusta motuum harmonia inde resultet, hoc opus, hic labor est, quem Medicus Philosophus scrutinio suo minimè indignum censet. Quid enim præstantius cognitione sui ipsius, quid verò beatius quàm gaudere mente tranquilla, quæ nisi circulus sanguinis fuerit salvus, consistere nequit. Cum itaque duplex ex utriusque vigore commodum in hominem redundet, paucis disquirere liceat, quâ ratione serenitas mentis à sanguinis circuitu dependeat. Ut homo non minus ac reliquæ animantes fartus tectusque servaretur, motus requirebatur, & quidem ut jugis & perennis foret, circularis, qui est actus & effectus mechanicus. Eum in finem cor quasi centrum & commune diribitorium constituebatur, ut terminus esset sanguinis tam proflui quàm reflui, sicque omnium arteriarum principium & venarum portus, quodque motum usque redintegraret. Quod etiam Excellentissimus Dominus Præses, Promotor studiorum meorum omni observantiæ cultu prosequendus, cui initamenta Medicinæ gratus accepta refero, in fundam. suis Med. p. 22. innuit: *Cor est omnis motus in corpore nostro & sanguinis circulationis, (sine quâ homo naturaliter vivere nequit,) primum principium & instrumentum & primum impellens sanguinem.* Quando igitur sanguis æquabili, consono & libero motu ad partes fertur, & idem æquè expeditè, utut non eadem celeritate, refunditur, optimus tunc

hominis est status, actiones vitales & animales ritè succedunt, secretiones & excretiones promoventur, corpus & anima suum inde robur acquirunt, uno verbo, sanitas corporis & εὐταξία mentis humanæ salva est & incolumis. Quamvis enim mentis vita à corporis diversa sit, attamen dum in & per corpus operatur, indissolubili, quod ipsi cum corpore intercedit, vinculo æquè de corporis valetudine participat. Hinc non ineleganter modò memoratus Exc. D. Præses ib. p. 14. dicit: *Qualis est temperies & motus sanguinis & humorum, talis etiam est motus spirituum animalium, & qualis spirituum animalium motus ac temperies, talis etiam mentis motus, inclinationes & cogitationes exsurgunt.* Et cum tota dies nos doceat, quòd variantibus corporis motibus mentis actus quoque diversi proveniant, omninò opinamur prudentiam & εὐθυμίαν maxima ex parte fundari in placido sanguinis itu redituque; quod & ipse Medicorum Parens I. de flat. confirmat: *Nihil, inquit, inter omnia quæ in corpore sunt, ad prudentiam æquè conferunt quàm sanguis, inprimis cùm in constante habitu persistit, ex cuius unica consideratione Medicinæ dignitas prominet atque effulget.*

§. IV. Modo itaque communis vigoris & integræ valetudinis, cuius commodum in corpus & animam æquè redundat, præviè & ὡς ἐν παρόδῳ per transfennam exposito, accessum jam facimus ad ipsam & quidem generalem morborum mentis evolutionem. Ut verò quid nos per mentis morbos intelligi velimus, cuius pateat, præmonendum arbitramur, quòd isti varia significatione accipi & tum sensu Theologico, tum Morali, tum etiam Physico-Medico explicari possint. Illo quidem morbus mentis in genere denotat labem communem à primo homine in totum genus humanum translata, quam illius sub specie boni allekti, quasi Deo æqualis redderetur, ambitio & ἀνομία introduxit; hinc mens non amplius sui juris ducitur & mergitur fere, ni ὁ λόγος τῆ πατρὸς hanc Gratia sua retraheret & erigeret, illecebris & cupiditatibus inordinatis carnalibus, quæ sunt corporis, & inde continua exoritur pugna mentis cum corpore, de quâ Theologi. Isto verò pr. ori subjuncto

motiones animæ, five ut vulgò vocantur Passiones, quæ rectæ
 rationis moderamini non subjacent, nihil aliud sunt quàm
 morbi animi. Unde nam oriuntur inordinati animi affectus?
 nisi à præcipiti, confuso & erroneo phantasmate & repræsenta-
 tione alicujus rei, quæ in mente ideam vel boni vel mali exci-
 tet, & sic nos ad sui propensionem & desiderium vel ad averfio-
 nem & fugam disponat, imò trahat, quæ tamen exagitationes
 animi si veræ rationis incudi subjicerentur, objecta nobis per
 phantasmata communicata & impressa indifferenti quasi &
 tranquillo trutinaremur animo. Minimè verò illi sumus, qui
 cum Stoicis affectus in homine penitus exstirpandos esse te-
 merariè asseramus, aut ἀπάθειαν admittamus, cùm affectibus
 in rebus peragendis nil nobilius, nil generosius existat, sed
 quòd mens carcere corporis ita teneatur, ut nisi prudenti regi-
 mine & optimis doctrinis istos animæ morbos domare & fræna-
 re calleat, de quo sapiens sibi solus gratulari novit. Sed ne
 longius extra pomœria nostra exspatiari videamur, istam mor-
 borum mentis tractationem Ethicis relinquimus, & potius
 quid sensu Physico & Medico sub morborum mentis nomine
 veniat, declarabimus. Morbos mentis nominamus, quando
 sanguinis περιφορά seu circumvectio inæquabilis indistincto
 numero & mensura procedit, ut mens insignem inde alteratio-
 nem in actionibus ex mutuo consortio emanantibus reportet.
 Cùm enim quivis morbus sit motus irregularis & à tramite na-
 turali recedat, manifestò liquet, & mentis motus respectu quo-
 ad corpus anomalos meritò dicendos esse, si nimirum medium
 illud, per quod in corpus nostrum operatur, læsum aut distur-
 batum fuerit: uti enim actiones cerebri seu mentis integræ se-
 quuntur actiones seu motus corporis naturales, sic quoque
 mentis anomalix cum corporis communicant & coincidunt.
 Differunt hi morbi mentis ex sanguinis circulo turbato oriun-
 di à commotionibus animæ seu affectibus in eo, quòd hi occa-
 sione objectorum externorum & mediantibus phantasmatibus
 moraliter erumpant; isti verò magis ab intra exsurgunt & ex
 mechanismo nec non motuum ex circulatione sanguinis pro-
 venientium perturbatione dependent.

§. V. Per minimos etiam rivulos, qui in vastum maris oceanum corrivantur, omnes illius æstus & tumores telluri, quam perreptant, sese affricare & allidere, id tristes satis abunde docent exundationes. Minimi canaliculi, quos in corde seu communi eorum capite & ostio nec non motuum inchoamento terminari audivimus, toti corpori, sic & cerebro, quod pervadunt, illius exæstuationes & redundantias communicant. Prout itaque circumlatio sanguinis vel præcox vel tarda vel impedita est, temperies quoque cerebri diversimodè est constituta, & functiones mentis varium inde exhibebunt schematismum. Cum verò maxima in motu, circulatione sanguinis & propensionibus animi deprehendatur diversitas & discrepantia, dispiciendum jam nobis erit, undenam ista proveniat & quare non omnes iisdem mentis morbis laborent. Ne igitur ἀμεθόδως rem nostram agamus, primum temperiem humorum inquiremus & ex ea discrimen circulationis sanguinis & inde prognatorum mentis morborum derivabimus, quo facto morbos mentis ratione regionum, ætatum, imò sexus differre clarissimis argumentis dabimus evictum.

§. VI. Scitè non minùs quàm Medicè dixit Lucianus, dum in hæc verba in Abdicato suo erumpit: Σωμάτων Φύσεις ἢ κρᾶσεις ἔχαι αὐταί, καὶ ὅτι μάλιστα ἐκ τῶν ὁμοίων συνεστάναι ὁμολογῶνται, ἀλλὰ τὰ μὲν τῶνδε, τὰδε τῶνδε μᾶλλον ἢ ἑλαττον μετέχει. Cui ulteriorem lucem fœnerat, quod Ettm. notat p. 709. Vol. 2. *Temperatura tam capitis quàm omnium aliarum partium à M. S. dependet, quæ quando est calida, vel quando est humida, etiam omnes partes, per quas transit, similes proprietates acquirunt.* Sunt equidem elementa, ut modò dictum, sanguinem constituentia eadem, at variam & variabilem subeunt consistentiam, & sub Prothei larva incedunt, ex qua discrepantia etiam vulgo nota exoriuntur sic dicta temperamenta, quæ, nî insignis accedat mutatio, sana dici poterunt. Alioquin enim nemo daretur homo sanus, cum nullum proffet corpus, quod in omnibus æquali gaudeat temperie, exquisita qualitatuum elementarium συμμετρία & omnibus numeris absoluto motuum concentu. Quod

Quòd verò unum temperamentum præ alio magis minusve, sanum, hincque plures vel pauciores morbos incurrat, nobis ob oculos ponet investigatio diversæ sanguinis consistentiæ, cui tamen notitiam principiorum sanguinis præmittere consultum ducimus. Quæ dum excutere intendimus, non hic Veterum prememus vestigia, qui ex quatuor elementis, quibus corpora constare statuerunt, totidem derivârunt humores, qui cum eorum natura convenirent cum sanguine mixtorum; sed ut

Junctum disjunctum mixtum dat Chymicus omne,

Quod prius est genesi, posteriusque capit;

Sanguinis corpuscula disjungemus, ut hac resolutione in totam ejus mixtionem perveniamus. Conflatur autem sanguinis substantia ex diversis principiis, inter quæ primicerium ducit Sulphur, quod sane in actum & motum deductum omnia reliqua agilitate sua superat & motum intestinum fovet ac conservat. Talem oleositatem & pinguedinosam seu sulphuream substantiam in sanguine existere varia evincunt tentamina Physico-chymica, quæ sicco pede lubenter hic transimus. Alterum principium sanguinem constituens terra audit, quæ fixior & siccior, hincque ad motum ineptior & tardior existit. His tertium accedit, quod aqua dicitur, quæ cum terra mixta phlegma veteribus audit; inter quæ denique connumerandum venit principium quoddam terreum subtile ad sal sedinem dispositum, nam sub salino schematismo, in ipsa sanguinis mixtione hoc neutiquam se sistit, sed si actio ætheris vel per putrefactionem vel per fermentationem accedat, tunc demum sal producitur. Ex hisce itaque principiis simul sumtis liquor sanguinis vitalis componitur, miscetur & coadunatur, & ex infinitis talismodi corpusculis totius massæ sanguineæ mixtio provenit. Hæc mixtio omnibus est una & eadem, sed differt consistentia, quam demum inclinationes, morbos & affectiones corporis & sic etiam animi variare dicimus. Hac nituntur tot idiosyncrasia, tot vitia, tot animi, ut adeò Medicorum Antistes optimè dixerit; *Magni refert, quali in corpore animi locati sint, multa enim in corpore existunt,*

quæ acuunt mentem, multa quæ obtundunt. A dispari, inquam, sanguinis consistentia, uti vires & totius hominis sanitas, sic & virium prostratio & morbi maximam partem dependent. Et omninò fundamentum habet, quod *Celeberrimus Bobn.* in suo *Circulo Anatom. Progymn. 4to.* notanter dicit, *mediocrem sanguinis consistentiam conservandis viribus ministrari, spissitudinem verò æquè ac fluiditatem nimiam earum perpetuationi & potentie maximè obesse.* Quot verò modis consistentia ista alteretur, res certè altioris est indaginis. Communiter quidem quatuor numerare solent temperamenta, quæ tamen æque difficulter ac venti ad quaternarium numerum revocari poterunt, sed tot, quot individua, ferè dixeris temperamenta, quoniam clima, sexus, ætas & victus ratio illa insigniter immutant. In eo tamen convenimus, quòd hisce genericis & eximioribus omnia reliqua accedant & magis minusve de iis recedant. Hinc si sanguis consistentiæ sit fluidioris, motu celerioris, ut nimirum sanguis maxima ex parte humiditate mediocri ceu conveniente, vehiculo sit instructus, sanguineam temperiem Medici uno ore pronunciant, quam Veteres aëri respondere putârunt. Quæ qui gaudent, sanguinis agitationem circulatoriam habent vegetiorem, habitum corporis parosum, & hi sanguine κατ' ἐξοχὴν abundare dicuntur. Dum enim mollioris texturæ & rubicundi sunt, commune suffragium est, sulphur in iis prædominari, cum ab eo sanguinis substantia rubicunda reddatur. Quæ sanguinis contemperatio παντελεσάτη & optima est, cum ad motum progressivum aptior deprehendatur, & quoniam exilibus vasis instructi sunt hujus temperiei homines, hoc habent incommodi, quòd congestiones sanguinis & sic impeditior motus arcessatur, circulatio verò sanguinis turbetur & constitutio cerebri simul declinationes subeat. Utut enim sanguinei ut sanguinei bene valeant, & alacres sint, at si nimium sollicitudinibus, pravis animi affectibus & Venereis cogitationibus indulgeant, facile in aliam transeunt temperiem, & hoc pacto nimias vigilias, suppurationes, & inde deliria, phrenitidem & alia hujus generis incurrunt. Quorum morborum ad animum rede-

redeuntium modum ac genesis ostendere conveniret, at cum illos una via evolvere & absolvere constituerimus, illuc eorum discussionem transferemus. Jam verò, si deficient partes aqueæ, humidæ, ita ut sanguis nimium turgescat, non aliter ac si spuma sanguini supernatet & rapidior motus fiat, tum dicitur temperies Cholericæ, quam Veteres calidam & siccam nominant & proinde igni comparant. Quod pabulum humidum desit & partes sulphuræ, vel Veteribus biliosæ dictæ, exaltatæ sint, docent vehementissimæ animi commotiones, iræ, furores, exacerbationes gravissimæ, gracilis corporis habitus; hinc videmus istos superbos, fastuosos & ardua petentes, & Mania, phrenitide, deliriis truculentis, paraphrenitide præ aliis vel maximè infestari. At sanguinis consistentiâ spissiore redditâ & minus sulphurea minusque mobili existente, ut actiones vitales & animales lentè progrediantur, circulatio sanguinis tardior & cogitationes firmiores, fixiores proveniant, Melancholiæ nomen isti temperiei imposuerunt, quæ frigida & sicca antiquis audit ideoque terræ comparatur, quamvis minimè in se frigida dici possit, cum Melancholici sanguine laudabili, utut crassiori, polleant, sed respectu saltim priorum contemperatio- num magis sulphurearum. Minime hic inficiandum est, & huic temperamento sua esse vitia, nî bene regatur & disponatur, dum insidiosus, malevoli, desperabundi & pervicacis animi facile redduntur, eximiis tamen quid quod excellentioribus, quàm omnia reliqua, instructum est virtutibus. Eo ipso enim, quando taciturni, tristes & cogitabundi sunt, alios excellunt horum quippe sanguis dum in veloci & continua agitatione est, fit, ut minùs rem deliberent, objecta minus ipsis inhæreant & rem quasi superficialiè tractent; isti autem diversitate objecto- rum, quæ sensus movent, in profundas injiciuntur cogitatio- nes, quoniam sanguis lentius procedit, & tenaces sunt rerum, ut felicem sic in studiis sortiantur successum. Et eò Aristoteles respexisse videtur, quando *omnes ingeniosos melancholicos esse* pronunciavit. At verò sanguine eorum vel nimis vehementer commoto vel tardè nimis progrediente & se circulante gra-

vissima exoriuntur animi pathemata, qualia sunt delirium melancholicum five furor hypochondriacus, mania aut summa melancholia, de quibus suo loco. Denique & ultimò generalem differentiam subit sanguis aquosis & mucidis partibus stipatus, ut sulphureæ succumbant, tunc exsurgit phlegmatica constitutio, quam frigidam Veteres dixerunt & aquæ respondere opinati sunt. Qui hujus sunt habitûs, magis stupidi, hebetes, tardi observantur, ob serum minus laudabile in sanguinis consistentia exsuperans, nec hi quidē morbis animi carent, cū circulus sanguinis ob vasorum exilitatem facili negotio in cerebro præpediatur, ut delirium cum somnolentia exoritur.

§, VII. Quod itaq; sanguinis intemperies nimium quantum ad animi morbos producendos contribuere possit, & agendi facultas s. animi vires à naturali constitutione dependant, perspeximus & enodavimus, jam quid ætas huc faciat, in apricum proferemus. Cū enim *ætas secundū Heurnium in Institut. p. 58. nihil aliud sit quàm intrinseca mutatio calidi nativi post se trahens totius temperamentī conversionem*, certissimum evadit sanguinem numero & qualitate eundem per quamque ætatem haud consistere, sed diversam subire alterationem, consistentiam & orgasmum, imò ipsam ætatem diversam inducere temperaturam. Quare ætatis ratio magnum momentum in consideratione morborum animi, qui ab insigni consistentiæ naturalis recessu originem suam trahunt, confert & adducit. Arborem tenellam de anno in annum novos ramos ceu novam roboris & vigoris accessionem acquirere, usque dum ad ἀκμὴν & perfectam staturam perducta fuerit, demum verò iterum succum vitalem amittere, res indubitata & obvia est. Simile in homine contingere videmus, quem virium novum subinde additamentum perficit & detrimentum illarum paulatim conficit, ita ut ad sui decrementum crescere videatur. Et quod mirū, quò major sanguinis motus, ebullitio quasi & ferocia, eò promptius homo suscipit fomitem morborum animi. Quo intuitu ad sensum Medicum trahere liceat verba egregia *Sen. in Epist. 39. Noster animus in motu est, eò mobilior & actuosior, quò vehementior*

tior fuerit. Et hæc est ratio, quare infantes & pueri non æquè obnoxii sunt istis pathematibus, cum illis actiones mentis adhuc sint imperfectæ & inde leviores istis obtingant morbi animæ. Statim ac verò sulphur in sanguine magis sui fit juris & extricatur, grandior concitatur æstus, circulus sanguinis perversa ludit dramata, temperatura Cerebri tollitur & τὸ γλυσχερόν consumitur, præprimis, si accedant spirituosæ, volatilia, profundiores animi meditationes; quocirca organa, quæ mens ceu instrumentis utitur, depravantur, operationes facultatis animalis perturbantur, & sic amplissima morborum mentis datur seges ac materia. Juvenes itaque, Viri ut & non pauci Senes ipsis graviter decumbunt & quidem sanguinei, sanguineo-cholericæ nec non sanguineo-melancholici, & quod paradoxum videri posset, uti secundum Hipp. de morb. Sacr. animus in homine augetur, sic non minus cum ætate morbi mentis incrementum capiunt.

§. VIII. Non parum quoque uti mentis optimo vigori sic & ejusdem hebetudini & infirmitati favet Climatum, disparitas, ex quâ diversa sanguinis αἵματος, ut Galeni verbis utar, promanat. Certo enim certius est, quod mens nostra ab ambiente aëre & cœli nec non soli situ mirum in modum afficiatur, quod plurimis jam abhinc seculis Sapientissimus Hipp. Experientiâ teste consignavit, dum sic effatur: *Prudentiam cerebro aër subministrat; & mox paulò inferius; sapientia toti corpori contingit, prout aëre participat.* Ex quibus pari fundamento contrarium transumere nobis integrum est. Mirari definemus Gallorum levitatem, Hispanorum gravitatem, Anglorum in Mathematicis ἀγχινοίαν, & Italorum insatiabilem libidinem, modò perpendamus & conferamus regionum maximam diversitatem. Ratio quoque manifesta erit, cur hæc Natio magis mania, illa verò melancholia, altera phrenitide, altera deliriis gravissimis detineatur. Ut adeò inferre nulli dubitemus, quod, quemadmodum certi dantur morbi endemii corpus affigentes, non minus morbofi mentis status certis regionibus sint peculiæ & familiares. Crasities enim vel sub-

tilitas aëris, vapores, exhalationes terræ magis minusve noxiæ, ventorum putredinosus vel rigidus perflatus, maris & aquarum falsugo aut uligo, solis denique major vel minor proximitas ut & victûs ratio vel salubrior vel deterior, corpus, sanguinem ejusque circulum nec non temperiem cerebri variis modis alterant, temperant & conformant, ut sic diversissimæ animæ inde propullulent affectiones.

§. IX. Quòd si jam ultimò sexûs rationem habeamus, & cum ipso sanguinis circulum variare asseramus, & inde quoque diversitatem morborum mentis derivemus, à vero non aberrabimus & in meliorem eorum deveniemus notitiam. Bene refert *Moebius in fundam. Med. Physiolog. cap. 7. Ratione sexûs temperamenta quoque differunt, mares enim natura fœminis calidiores, quod ex actionibus, robore, laboribus, constantia & corporis habitu evidentissimum, & ipse Hipp. lib. de victûs ratione, mares calidiores & sicciores, fœminas autem humidiores & frigidiores* proclamat. Cui assertioni fundamentum præbuit quotidiana observatio, quòd fœminæ habitum corporis habeant *δυσδιαφύκτων*, & humoribus uteri gratia per periodos & stata tempora colligendis & excernendis scateant & exinde perfrigerationes, tumores & non rarò collectiones aquarum persentiscant & experiantur. Quanquam verò mares vegetiori sanguinis circumactione, vehementiori calore nec non fortiori pulsu fœminis antecedant, & hac ratione tantò facilius ad morbos mentis, qui ex effero sanguinis motu proveniunt, disponantur, minimè tamen fœminæ istis immunes sunt, sed & hic patiuntur suos manes, quando minus liberam circulationem obtinent & nimis diu lympham seminalem retinent, cùm illas Maniæ seu furori uterino dicto obnoxias esse observationes testentur, quale exemplum *Platerus in sua Praxi Med. tom. 1. cap. 3.* annotavit & vidit in nobili matrona alioquin honestissima, quæ & homines & canes ad congressum verbis gestibusque turpissimis invitârat. Ex quibus hæcenus adductis factis dilucescit, nullum sic dictum temperamentum, nullam regionem, nullam fermè ætatem & nullum sexum reperiri, ad quæ longe lateque serpens morborum mentis progenies se non expor-

exporrigat & quàm suo vastissimo ambitu plures homines com-
plectatur.

§. X. Hic ita in genere expositis, consideranda jam forent
τὰ κατὰ μέρος νοήματα νοήματα, quorum tamen cognitionem
exactam non obtinebimus, nî prius illorum fundamentum à
crasi five cum veteribus temperie cerebri petamus, ut inde ge-
nesis morborum mentis dilucescat. Cum enim finis noster,
sit à temerato sanguinis circulo morbos animi derivare, du-
ctum vasorum sanguiferorum in cerebro prosequi materiæ
connexio postulat. Cerebrum perinde ac omnes reliquæ par-
tes sua habet vasa tam arteriosa quàm venosa, quæ in cerebri
corticem ac superficiem, per membranam maximè piam, (qua-
lia liquore rubicundo consistente singulari enchiresi ab ipso
repleta & separata vidi ab Excell. Dn. Præside in Anatomia nu-
perrima,) mirum in modum excurrunt atq; inosculantur: Im-
primis verò arteriæ & venæ copiosæ plexum choroïdeum con-
stituunt. Sanguis itaque in pulmonibus & corde subtilisatus,
& per carotides ac cervicales cerebro communicatus in corti-
calem & anfractuosa illius partem motu pellitur & per capil-
lares quosdam ramusculos interiorē substantiam nonnihil
lambit & penetrat, ut vivificatio cerebri per communicatam
subtilissimam & tenuissimam partem sustineatur conservetur-
que. Jam verò facilè accidit, ut in tanta vasorum sanguifero-
rum complicatione sanguis non æquali, libera eâque necessa-
ria unda, sed torrente quasi ad sinus & dictum plexum choroï-
deum feratur, vel deficiente motu impulsorio lentè partes i-
stas transcendat, quo demum impeditior sanguinis circuitus
peragitur, quem fontem ferè dixeris omnium morborum; un-
de obstructions, stagnationes, dilacerationes vasorum, effu-
siones sanguinis & seri inflammationes, exastuationes ut & sup-
purationes excitantur, & inde mentis operationes, quas in & per
corpus exserit, languidæ & turbidæ evadunt, & sic mens præ-
ternaturaliter moveri & morbis laborare dicitur. Non malè
ergò infert Mœbius in Physiol. pag. 27. ubi inquit: In lethar-
go læditur memoria, in vertigine phantasia, intellectus & ra-
tio

„tio in Melancholia, quæ sunt operationes facultatis animalis
 „non quidem anima læditur nec facultates, sed hæ impediun-
 „tur in actionibus ob organa non rectè constituta. Quantum
 verò sit commercium animi cum corpore, id colligere possu-
 mus ex raro sanè & curioso exemplo, quod elegantissimus lo-
 cus Sanctorii p. 606. in Comment. ad Galen. nobis suppeditat:
 „Nos cognovimus, inquit, quendam Juvenem, implacabilem,
 „temerarium & planè irrationalem, qui post inflictum vulnus
 „in ejus capite cum deperditione cerebri substantiæ miraculi
 „vixit superstes, & inde factus est adeò placabilis, adeò prudens,
 „ut in suarum rerù regimine, in agendo, in prudenter loquen-
 „do paucos habuerit pares. Et quis dubitaret, quin cerebro
 non solùm affecto, ubi motus progressivus non liber est, sed &
 reliquis corporis partibus morbidis existentibus, animus simul
 corripitur. Morbi enim debilitant animum & cogitationem
 à seriis ad corporis dolores avertunt; sive ut Democritus ait in
 „quâdam ad Hipp. Epistola: Augescit intelligentia præsentem
 „sanitate, cujus providentiam habere honestum est eos, qui re-
 „ctè sentiunt. At ubi corporis habitus ægrotat, neque mens
 „ipsa alacritatem habet ad virtutis meditationem: morbus e-
 „nim præsens vehementer animum obscurat, intelligentiam ad
 „affectionem per consensum ducens.

§. XI. Quibus ingenere ita excussis & rectè constitutis,
 devolvimur jam ad specialem morborum mentis tractatio-
 nem, inter quos primum se offert affectus melancholicus. Ne-
 quaquam verò per hunc intelligimus naturalem istam sangui-
 nis temperiem, quâ ipse multis particulis fixis, immobilibus,
 crassis conspicuus & stipatus & ad utrumque motum, tam in-
 testinum quàm progressivum subeundum non parum ineptus
 est, ut ut hic causa remota nostri affectus ut plurimum dicenda
 sit, sed illum maximè morbum, qui comitem habet perpetuum
 mœrorem, angorem animi, tristitiam sine causa quadam mani-
 festa, quique vel maximè se dignoscendum præbet phantasma-
 tibus fixis, profundis & sæpissimè absonis, pravæ imaginatio-
 nis turbulentis actibus, præsertim timidis, terrificis. Hic i-
 pse

pse affectus non abundantiam bilis adustæ juxta veteres, neq; accumulationem acidorum, austerorum, terrestrium humorum pro causâ immediata agnoscit, difficulter enim concipi potest, quomodo talis intemperatus humor materialiter & per se hunc affectum producere possit, sed potius, sicuti statum animæ naturalem, ejusque functiones & operationes ex sanguinis circulatione per capitis vasa in superioribus arcessimus, ita & firmiter statuimus, ex circulationis sanguinæ per cerebri vasa tenore ac statu præternaturali hunc & alios morbos mentis affectus ducendos ac derivandos esse. Breviter enim hic iteramus, tales in mente oriri ac perfici cogitationes, tales quoque ideas, inclinationes & operationes, qualis solet esse circuitus sanguinis in capite vel tardus, vel impeditus, vel celer. Nostra itaque est sententia, in melancholicis sic dictis sanguinem tardissimè & impeditè vehi ac circulari per capitis vasa. Minimè ergò rationi & veritati convenit, in melancholia vaporem ex humore melancholico excitari, eumque ferri ad cerebrum & spiritibus animalibus commisceri, qui cum crassus, ater & tenebrosus sit, eos collutulet & delirium procreet; hoc verò discussso, dissipato & per capitis poros eliminato delirium finiatur. Fert eadem opinio, quòd si vel ob victum vel melancholicam viscerum constitutionem humor generetur novus & novus vapor exsuscitetur, qui perinde ut prior elevetur, spiritibusque permisceatur, delirium priori simile producat. At, verò, dum sanguis impeditius circulum subit, fit, ut sanguis in melancholicis circa caput stagnet, quod vasorum turgescencia capitisque intumescencia abunde confirmant. Illud enim certissimum, melancholicos fermè omnes sanguine copioso, crasso abundare, quod & experienciâ stabilitur, ubi illi, qui diu omiserunt venæ sectionem & solennes evacuationes, per hæmorrhoides vel menses in fœminis, non amplius obtinent, frequentissimè hoc malo corripuntur. Sanguine sic inspissato & spasticè se circulante, somnum melancholici experiuntur turbulentum, & agitantur spectris rerum nigrarum, humorum, cadaverum, sepulchrorum, quæ plena sunt terroris. Patiuntur

insuper præter tristitias & timorem continuum, melancholici in auribus tinnitum, strepitus, susurros, in oculis caliginem, in cerebro vertiginem, in meningibus dolorem, in arteriis pulsationem molestant, in corde palpitationem, in thorace angustiam & quandam spirandi difficultatem, in somno terribilia phantasmata, quanquam etiam non raro vigiles & insomnes traducant noctes, prout hæc symptomata ordine recenset SEBIZ. in Exerc. Patholog. p. 101. Disponuntur verò & facile transeunt ad Melancholiam Hypochondriaci, comprobante id experientia, unde etiam melancholiæ nomen inditum est Hypochondriacæ. Undenam verò affectio hæc hypochondriorum originem suam habet, nisi ex sanguine crasso, stagnante & congesto circa mesenterium & viscera abdominis, quod cum in plethoricis, tum vitæ sedentariæ & otiosæ addictis, studiis nimium vacantibus evenire observamus. In his ipsis enim partim spiritus plus justo consumuntur, partim etiam ob motûs defectum sanguinis spiritualescentia, subtilisatio, imminuitur, deficit, & hinc sanguinis crassi & copiosi origo certissima nascitur. Hic demum est, qui in capitis vasibus hærens tot perverfas phantasias, tot animi imaginationes in Melancholicis producit, quales BARCLAJ. in Argen. l. 1. cap. 14. eleganter describit, dum inquit: *sunt in ejusmodi hominibus laxa cerebri claustra, suaque tenuitate nimis apta recipiendis imaginibus rerum, quas vocamus phantasias. Has in rara illa substantia & sua levitate, quocunque impellatur, obnoxia impressas, ideò delere est arduum, quia ut plurimum aliquâ suavitate placent, & præterea veluti intingunt animum, non aliter quàm per vehementius succedentes diversarum rerum species in alios colores abiturum.* Quare omnia ea, quæ sanguinem crassum generant, excretiones suspendunt, uti in melancholicis alvus ordinariè constipata est, & circulum sanguinis infringunt, melancholiæ facem præbent luculentissimam; inter quæ prodeunt omnes graviores animi affectus, terrores, pavores, metus, quibus externus corporis habitus constringitur & sanguis ad interiora retropellitur. Cum etiam nimia venus spiritus consumat, nervos labefactet & æquabilitatem circulationis in sanguine tollat, ista non minùs melancholicum delirium pro-

procurat, cujus Henricus ab Heer observ. 9. *in sexagenario* meminit. Invidia denique, vinolentia & nimius somnus, & alia, quæ regularem motum & temperatum calorem suffurantur & anomalias substituunt, apprimè hunc affectum protrudunt.

§. XII. Congestionem verò singularem & stagnationem sanguinis, seu potius impeditiorem ejus motum ob vasa in capite, nimium turgescēta per cerebrum, causam hujus esse affectus, ex eo videtur esse liquidum, quòd in plethoricis, uti dictum, & post gravem terrorem, timorem, transpirationem ab aëre frigido prohibitam, frequentius hoc malum eveniat, unde fit, quando cortex & peripheria corporis clauditur, pori coarctantur & constringuntur, sanguinem magis deferri ad interiora ibique accumulari, congeri & latera arteriarum distendendo impeditius circulari. præterea frequenti observatur experientia, melancholicos paroxysmos & exacerbationes habere certas, quæ ut plurimum cum horrore quodam & frigore partium externarum, incipiunt; jam verò notissimum est, quomodo sub tali frigore & horripilatione spasmus quasi comprimantur, coangustentur & habitus corporis constrictior fiat, ut deinde necessariò sanguis, propter spatia & vias factas angustiores & minores, redeat ad interiora, ibiq; collectus in vasis majorib9, pulmonibus, corde, circa cerebrum hæreat, & anxietates oppressivas, suspiriosas, quæ melancholicis sunt familiarissimæ, cordis tremorem, palpitationem, vertiginem, capitis gravitatem, nimium ejus fervorem, oculorum ferociam, varia & fixa phantasmata, vigiliis assiduas efficiat inferatque, quæ cuncta symptomata, si sanguis per nares vel per hæmorrhoides vel quocunque modo solvatur, à restituto cruori circulo libero per cutis spiracula, ita ut sudor lenis aut blandus emanet, remitti, imminui & exspirare insigniter solent.

§. XIII. Ex dictis itaque facile consequitur, non dari præsentius auxilium atque præsidium in hoc morbo, quàm venæ sectionem in pede & largam sanguinis effusionem: quod si enim ullum remedii genus in instanti levamen affert, certè est venæ sectio; hac enim ipsa sanguis è capite divertitur non tan-

tum, sed & toti cruori liberior circulatio, sufficienti copia emissa in vasis conceditur; *uti Melancholia hypochondriaca ipsis hirudinibus mitigata* refertur D. II. A. IV. p. 51. Apparet & inde ratio, quare vomitoria nec non purgantia fortiora, uti elleborus niger, albus, in affectu melancholico exoptatissimam ferant opem, auctoritate cum magni Hippocratis, tum experientia ipsa hic consentiente. Acri enim stimulo per purgantia facto, & ipse sanguis cum sero alliditur & revocatur à partibus superioribus ad inferiora, & sic deferendo caput, illud à phantasmatibus liberat, ubi tamen circa purgantium usum notandum, salia nitrosa, detergentia, abstersiva & humectantia in sufficienti quantitate præmitti debere, ut serum illud crassum, tenax resolvatur, fluidum reddatur & ad exitum per glandulas intestinales præparetur. Tandem etiam ratio afferri facile poterit, quare *frictiones & balnea inferiorum partium*, quæ cum emolumento adhiberi dicit Sebiz. in Exerc. Patholog. p. 108. it. pediluvia, tam insignie allevamentum melancholicis adducant, & caput ab istis cogitationibus & phantasmatibus immune reddant, & ad suavem & desideratissimum somnum disponant. Hæc ipsa etiam ex sola aqua dulci parata, & calore, & humiditate sua, sanguinem tenacem, viscosum resolvunt, attenuant, substantiam carnosam, porosam relaxant, & sanguini liberiores ad partes affluxum conciliant, ut inde ipse deferendo caput, transeat magis ad inferiora, unde vulgariter dicunt, daß sie vom Kopfe abziehen / quod attrabant quasi à capite.

§. XIV. Unam eandemque radicem & stirpem agnoscunt melancholia & mania, & una ex altera provenit & germinat, ita ut mania summus melancholiæ sit gradus, & gravissimam insaniam comitem habeat, quam truculentissimam mentis commotionem à sanguine crasso motu fortiori impulso exoriri, maximus æstus, diræ cogitationes, vigiliæ, summum delirium & actiones animi similes & cognatæ motui sanguinis abunde declarant. Quod verò melancholia, præsertim inveterata, in maniam transire possit, nos docet observatio Hildani 8. & 9. Cent. IV. uti & sanguinem melancholicum Maniæ basin & fundamentum rectè pro-

pronunciavit Stalpart van der Wiel p.1. Obs.29. Sanguis itaq;
 crassus & melancholicus in maniacis impetuosè & violenter
 movetur, vasa circa caput distenduntur, inflantur, turgescunt,
 æstus concitatur, qui tantus est, ut referente Foresto in observ.
 I. X. observ.20. *corpus maniacorum intensissimo gelu calidissimum &
 rorido sudore perfundatur*, palpitatio cordis accersitur, insomnia
 turbulenta, quæ somnii vigilantis monstra portendunt, oriun-
 tur, actiones corporis & mentis invertuntur, cùm sanguis hinc
 inde in cerebri vasa irruat, ea distendat, premat, vellicet, ut ce-
 rebrum sanguine & sero perfundatur. In qua sententia nos
 confirmat maniacorum Anatome, qualis exhibetur D. H. A. V.
 p. 546. qui locus huc transferri meretur: *post exentum cerebrum
 in pelvi relicta feri cruentati propemodum sex uncia fluitabant, eleva-
 ta dein digitis in basi cerebri medulla oblongata, & detectis ventriculis
 à latere sitis, in conspectum venit plexus choroidæus pręgrandis, ab utro-
 que latere totam interiorem ventriculorum superficiem perreptans &
 ex multis insignibus vasis sanguiferis, à ramis carotidibus per foramen
 à septi anteriore parte patulam accedentibus, constans; ubi hic plexus
 vesiculis lividis seu hydatidibus pisiformibus conspurcatus fuit, quæ vel
 lanceola aperta, aut manibus ruptæ, serum gelatinosum livescens fu-
 derunt, ab hoc plexu quatuor insignes venæ sanguine hinc inde fluctu-
 ante refertæ ad ipsissimam glandulæ pinealis basin derivabantur; vasa
 verò medullaria, quæ in eam inseri dicuntur, nullatenus, quamvis sedu-
 la investigatione, reperire potui; glandula hæc fibris sanguineis subtilis-
 simis conspersa prorsus rubebat & solidior fuit solito. Septum lucidum
 ventriculos cerebri anteriores distinguens etiam punctula sanguinea
 habebat.* Exinde itaque patet, quòd, cùm sanguinis & feri tanta
 in cerebrum sit effusio, illud necessariò afficiatur, cujus læsio
 mentis & imaginationis manifestissima sunt indicia. Quando
 jam sanguis in cerebrum nimium effusus in eoque stagnans,
 quam *sanguinis in cerebro stagnationem furoris causam esse statuit*
 Bonett. in se pulch. I. i. Sect. VIII. arterias distendit, circulus
 sanguinis violento quodam nisu provocatur, major æstus in-
 ducitur, actiones cùm mentis, tum corporis accelerantur, & de-
 mum imaginatio læditur, succedit delirium, oculi truces & fe-

roces videntur, & æstu sanguinis ad quævis enormia feruntur. Sic physicè verum fit, quod sensu morali de pravis hominibus Seneca Ep. 103. edixerat: *Hominum effigies habent, animos ferarum.* Quare maniaci facile irascuntur, odio prosequuntur alios, temerarii sunt atque audaces, impatientes sunt adeò, ut, se ipsos percutiant, caput ad parietes allidant, & quandoque etiam vel gladio aut cultro se interficiant, vel in flumina se præcipitent, aut ab alto se dejiciant; carceribus inclusi sæpe se nudant & nihil quicquam à frigore læduntur & contrectati non frigidi sed calidi sentiuntur, & sunt in perpetua actione, ideoque & ira, clamore, jurgiis summaque corporis inquietudine calorem accendunt.

§. XV. Cùm ergò sententia nostra sit sanguinem, crassum invehementem motum deductum causam suggerere primò quidem melancholiæ, deinde verò ipsi Maniæ, perspicendum nobis erit, unde nam ista sanguinis crassities & motus vehementia proveniat. Illa non aliunde originem suam habet nisi ex circulatione sanguinis impeditiori & assuetis excretionibus deficientibus, quandoquidem natura intentionis suæ in illis, quæ ad statum naturalem conservandum pertinent, sæpe frustratur, quæ sit, ut sanguis erroneos, spasticos motus subeat & ad caput ipsum transprimatur, & sic secundum Hippocr. experientia diutina edoctum l. de superfoet. cap. 24. tom. I. *ordinaria sanguinis evacuationis intercepta furere faciat.* Inde est, quòd à suppressa & sæpius recurrente hæmorrhagia, nec non à mensibus suppressis ortam Maniam observavit Forest. lib. X. Observ. 23. & 24. ab hæmorrhoidum suppressione Zacutus Lusitan. l. I. Prax. Adm. Obs. 51. Quare ratio facilis & in promptu est, cur varices ac hæmorrhoides Maniæ supervenientes boni ominis vel salutes sint dicenda juxta Hipp: Sect. VI. Aph. 21. & juxta eundem Sect. 7. aph. 5. *dysenteria furori salutifera existat.* Quam sanguinis imminutionem si sponte sua per nares, hæmorrhoides, natura non obtinuerit, medicus naturæ succurrere, & artificialem substituere consultum ducit, hinc largam & sæpius administrandam venæ sectionem commendat Plater. in Prax. l. I. cap. 3. p. 120.

hac

hac via enim motus sanguinis à capite versus alias partes determinatur, parte sanguinis adempta, æquabilior circulus restituitur, æstus diminuitur, & furoris radice evulsa, ipsa mens iterum componitur. Præter hujusmodi sanguinis evacuationes cum naturales tum artificiales, & ea, quæ serum cerebrum, ut audivimus, inundans educunt, totam nonnunquam curam absolvent, uti hic notatu digna occurrit historia, quam Rondelet. l. i. de curatione morbor. cap. 41. consignavit, quod nimirum *aliquando casu perrupto cranio effusaque hinc aqua, mania fuerit curata*; cujus non alia datur ratio, quam quod seri quantitate imminuta, quæ mentem turbabat, vasa capitis in pristinum, redierint tenorem. Quo intuitu & *salivatio mercurialis in desperata mania* profuit, quâ de re evolvi poterunt Rolsinc. in Ep. p. 79. & Wedel. l. ii. de facultat. medicam. Sect. II. cap. 12. p. 290. Ratione quoque non absolum est, quando Olaus Gremsius mirum commendat *Extract. Ellebor. fij. cum croc. metall. gr. XV.* si nempe furor non remiserit, tum dicit, maximo cum successu perventum fuisse ad hoc remedii genus. Non minore hic quoque laude eminent pediluvia, quæ, cum non solum sanguinem à capite versus inferiora invitent, sed & propter blandum ac temperatum calorem circulum sanguinis liberiores efficiant, à Simone Paulo merito deprædicantur.

§. XVI. Motûs denique vehementia in maniacis emergit & exsuscitatur, partim ex ipso naturæ molimine, quæ illud, quod sibi molestum, excutere intendit, partim ex ipso sanguine & sero copioso, qui humores, dum arterias nimis tundunt, motum impetuosiores & æstum provocant, cui nonnunquam favent externæ occasionales causæ; quale quid legimus apud Timæum à Gûldenkleee, qui refert *motum corporis concitatiores æstivo tempore institutum juvenem maniacum reddidisse. Exardescens quoque ira viam ad Maniam sternit* teste Galen. Sect. 3. Aph. 23. *A febre ardente, tum à seminis retenti fervore furorem, maniacum ortum fuisse* Barthol. Hist. 69. Cent. II. observavit. A mensium suppressione maniam, quæ in foeminis furoris uterini nomine venit, excitatam fuisse jamdum tetigimus. Quod si melan-

melancholicus effræniùs utatur venere, in maniam facilè incidit, *exemplo juvenis melancholici media æstate juvenculam uxorem ducentis profusè venere usi, qui non multos post dies furere coactus fuit.* V. Forest in observ. l. X. obs. 23. ex amore nimio contracta fuisse memoratur D. II. A. x. p. 219. it. valerijola obs. 7. l. 2. Demum & à *vermibus in cerebro genitis*, qui arguunt putredinem & defectum balsamicæ cruoris partis, ortam maniam annotavit Plater. in Prax. T. I. p. 104. it. D. I. A. IV. & V. p. 35. Quàm verò narcotica huc aptissima sint, inferius exponemus. Ultimo quoque *spirituosa in copia* assumpta vel maximè hunc affectum in melancholicis foveant, ut adeò rectè pronunciarit Seneca Ep. 83. *Ferè vinolentiam crudelitas sequitur; violatur enim exasperaturque sanitas mentis*; exinde gravissima deliria, truculentissima insomnia & totius mentis *ἀταξία* propullulant, cum ebrietas nil nisi amentia sit. Illud adhuc adjicere libeat, quòd noster affectus ab uno ad alterum contactu transire possit, si saliva mania laborantis sævo morfu alteri communicetur, *quale quid Torgavie accidit, ubi mulier maniaca lictorem prope axillas mordebat, qui postero die similiter hac ipsa furere incepit.* V. Ettmüller. de morfu viperarum. His itaque exasperatis mentis motibus ea opponenda sunt, quæ æstum sanguinis infringunt & motus sedant, inter quæ *Camphora medicamentum Manie materiam mirabiliter extinguens* dicitur à Deodato hygiaft. l. 3. cap. 21.

§. XVII. Si filum morborum mentis prosequimur, vestali habitu incedit Phrenitis, quæ quàm mentis actiones perturbet, brevissimis adumbremus. Venit hic affectus generali denominatione sub omni sapientiæ hebetudine, quòd mens ad actiones rationi & prudentiæ congruas planè inepta sit, quod utut magna ex parte ita sese habeat, non tantum illud per eam intelligimus, sed & *meningum inflammationem aut ipsius cerebri sphacelum*, prout eam denotarunt veteres secundum Ettmüll. in prax. part. 2. p. 126. ex aphor. Hippocr. 50. Sect. 7. Hæc inflammatio ortum suum ducit ex præpedito sanguinis circulo, aut stagnante quodam humore sub cranio & inventriculis cerebri, quod partim observationes, partim ipsa morbi hujus phæ-

nomena evincunt. Illæ docent in phreneticis impeditam sanguinis circulationem, ubi in *his dissectis ventriculi cerebri aliaque capitis partes humore quodam aqueo, pituitoso, imò ceruleo, scaturierunt*, quâ de re consuli possunt Heurn. in morb. pector. Coiter l. 1. observ. it. Petrus Pawius obs. 18, qui *pblegmonen* advertit, it. Rhodius Cent. 1. obs. 39. & 40. Ipsa verò morbi phænomena, de interturbato humorum circuitu testantur, quando illud ipsum ex acerbissimo capitis dolore, pulsu capitis vehementissimo & inurente calore unâ cum rigore partium externarum, urina tenui & aquosa manifestò dignoscitur, ut ita febris ardens, vigiliarum pertinacia & oculorum ferocia, mentis verò non solum fontica emotio sed & alienatio, perversum ratiocinium & gravissimum delirium, (*anima enim dicente Heurnio in Institut. p. 75. quieto minimeque præcoci utitur spiritu, & tunc est prudens, unde & senes junioribus sunt prudentiores,*) inde promanent. Præterea in phrenitide animadvertitur *pulsus cum quadam convulsione durus, dolor capitis adest pulsorius, vomitus biliosus, aruginosus & virulentus*. V. Hippocr. l. 3. Epidem. it. Galen. l. 2. in lib. epidem. text. 24. Inducunt verò nostram phrenitidem nimia, spirituosorum ingurgitatio, sanguinis evacuandi suppressiones mentis, exacerbationes s. pathemata; hinc à *spirituosis, tum lochiis, ut & hæmorrhoidibus retentis* inductam refert Horst. l. 2. obs. 25. *Gonorrhæam virulentam phrenitidis causam fuisse* Fontanus annotat. Similiter *ex ira mensibus fluentibus remoram injiciente productam eam fuisse*, Bartholini testantur Acta Hafn. vol. 2. p. 138. Quæ omnia impeditiorem sanguinis circuitum inferentia, stagnationem sanguinis in membranis cerebri, & demum earum inflammationem parere potuerunt.

§. XVII. Circulo itaque sanguinis per membranas potissimum cerebri, quas insignis arteriarum plexus irrigat, inhibito & stagnante, intestinum motum augeri, periculosissimam inflammationem exoriri, & nî tempestivè succurratur, in perfectam *νέκρωσιν* degenerare & abire perspeximus; hanc verò ut avertamus, curandi methodum fiendi modo adaptemus. Hanc nobis suggerunt diligentes observationes, ubi matura vena-

rum vel etiam arteriarum incisio hoc in affectu cum ægri restitutione tentata fuit. Panarollus enim p. 1. observ. 29. *temporum arterias felici cum successu incidi curavit*, & si fortè venæ sectio vel neglecta fuerit vel impedita, *hirudines & cucurbitulas scarificatas in vicem vocat* Plater. l. i. observ. p. 93. it. Zacut. Lusitan. l. i. Histor. p. 81. Aut arteriarum loco *vena jugularis* fecari poterit, quâ phrenitidem curatam V. D. II. A. II. p. 49. & 192. Hac via sanguinis stagnatio circa caput & membranas cerebri omnium optime dissipatur, & liber humorum circulationi transitus conceditur, & sic demum blanda sudorifera ad plenam discussionem symbolen suam adjicient non contemnendam.

§. XIX. Considerata sic mentis alienatione ex phrenitide proveniente, jam pergimus ad istum mentis affectum, qui ut plurimum à vi externæ cujusdam causæ inferri solet; hæc ipsa enim non aliter ac venenato circes poculo lædentis formam induere, ejusque mores in non nihil imitari videtur homo. En! tantam in animum extra nos nata vim habent, ut illum in sui formam transmutent. Rabiem volo, quâ mens pervertitur, furit, spumescit, mordet. Non homo homini solùm, sed & ipsa animalia ratione destituta maligno suo contactu labè ipsi affricare valent, cum juxta Celsum l. V. Medicin. cap. 27. *omnis fere morsus virus quoddam habeat*. Adeò nocivum & summè activum virus est, quod bruta æstu percita & in rabiem deducta homini conferunt, spumosa & bullantes lymphæ, queis brutum agitur, partes interiora humani corporis penetrant, & similem inibi motum inchoant & efficiunt. Videntur verò Ettmüllero indissert. de morfu Viper. *hujusmodi animalia laborare quasi febre quâdam maligna, cum insania maniaca conjuncta, ex effervescentia, masse sanguineæ à fermento peregrino peculiaribus ideis insignito oborta*. Vulnere homini inflicta quod attinet, illa certò sapius non tanta sunt, ut lethum inferre possint, sed potius virus per salivam communicatum tantam motuum anomalam concitare, putandum est. Hinc rectè ait Sennert. l. V. Prax. p. II. cap. 21. *Vulnere à venenatorum morsibus vel ictibus illata plus nocent vi venenata, quàm vulnere, quæ per se plerumque non sunt magni momenti*.

Quod

Quod verò sit vehiculum istius veneni, quod morsus ferarum, ut canis, felis, lupi, aut ipsius hominis, inducit, & quæ talis affectus generetur, putant nonnulli, quòd ideæ animalis lædentis, vel ejusdem vel alterius fuerit speciei, furibundæ ac truculentæ in sanguine existentes alteri, quod læditur & sanguinem aut lympham assumit, communicentur. Si quis autem ejusmodi ideis non delectetur, nos non habebit adversarios, hoc tamen nobiscum inter indubitata reponet, quòd minima salivæ pars levissimo bruti furibundi morfu lymphæ humanæ aspersa ob materiæ homogeneitatem fibras irritare, spasmos procreare, sanguinem ad caput propellere, & sic totius M.S. circulum variare & exagitare, spiritus vehementer concutere & mentis functiones perturbare quàm apta sit. Et quidem, ut Harvæus in exercit. Anatom. de mot. cord. cap. XVI. edisserit, *boc non aliunde provenit, quàm quòd contagium in particulam primò impressum unà cum revertente sanguine ad cor feratur, unde postea totum inquinetur corpus.* Ita enim ferunt leges naturales & mechanicæ, ut motus, præprimis si in uno ferè mixto contingat, motui respondeat; & sic fit, ut quantò magis sanguis in impetuosum, furibundum motum adductus est, tantò promptius alterius sanguinis, si ipsi communicetur, motum sibi conformem reddat. Quæ verò fiat, ut tale principium activum longo nonnunquam tempore in sanguine lateat, antequam vim suam exerat, res sanè altioris est indaginis, & videtur hæc subesse ratio, quòd venenum per contactum homini illatum (quod in sale quodam acri, fixo, latice totius corporis quasi exsiccante consistere cum Ros. Lentilio in nuper edita dissertat. de Hydrophobiæ causa & cura opinamur) partibus viscosis involvatur & sic non statim totam, hujus massam sanguineam minima sua mole invertere valeat, sed paulatim vires & augmentum capiat.

§. XX. Gravissimum itaque ex rabie animo, imò toti homini, imminere periculum quis non videt; fatiscunt rationis actus, spuma os circumdat, facies horrida evadit, quemvis dentibus petit, anxietate & hydrophobia, quæ familiaria & præcedanea sunt symptomata, tenetur, & moribus bruto, quod ipsum

aggressum fuit, quodammodo accedit. Quod confirmant exempla passim obvia, uti inter alia Hildan. refert. Cent. 1. observ. 84. quòd *quidam à fele rabido sola sculptura per unguem in dextro pollice laesus, vix epidermide laesa, nihilominus tamen rabiosus in summo gradu factus est, & omnia symptomata morsum canis insequentia perpeffus fuit.* Exosculatione demortui canis rabidi rabiem contractam scribit Zacut. Lusitanus lib. 3. Prax. admir. obs. 82. Quòd à sola lymphæ acerbitate totum malum proveniat, & ea mediante, utut nullus morsus concurrat, virus transfundatur, probat id quod Mathiolus notat, *se duos vidisse, qui spuma tantum perfusi, nullo accepto ex morsu vulnere, rabiem contraxerint.* Taceo plures historias, quæ ad virosum sal in rabidi saliva seu lymphâ latitans, vel cum vel sine morsu communicatum, quo primum hydrophobia, tandem verò si delirium accedat, ipsa rabies gignitur, ulterius stabiliendum inservire possent, quò brevitati studentes angustis cancellis dicenda includamus.

§. XXI. Cum verò Hydrophobiæ, quæ rabiei prodromus est, mentionem fecerimus, placet paucis adhuc circa ejus genesis disquirere, ubi notandum, quòd illa ab eisdem causis cum rabie deducenda sit; est enim hydrophobia principium morbi, qui à rabido animali infligitur; rabies autem extremus morbi gradus, in qua sententia adstipulamur memorato Lentilio loc. cit. Num verò hydrophobia citra rabiosi animalis contactum, ut v. g. *in febre maligna*, prout Salmuthi sententia est, generari queat, in medio relinquimus, cum rari hydrophoborum casus occurrant; de eo tamen constat, quòd levis contactus à rabie tentato hanc inducat. Quæ autem genuina hydrophobiæ sit causa aut fiendi ratio, autores inter se dissentiunt, dum alter ideas, alter fibrarum ruptionem, alii alia venditant & incusant, quorum dissensui ne nos immisceamus, quid nos statuamus, in medium adferemus. Canem aut aliud quoddam animal, quod rabie laborat, ingentem fovere sanguinis fervorem & æstum, ita ut inflammationem pariat, nullum est dubium; quòd si itaque talis æstus roscidum humidum in sanguine depascitur, partes salinæ extricantur, & à saliva, quæ salium menstruum est, figuntur

tur, & que veneni naturam induunt; quando jam animal hujusmodi partibus salinis, fixis, scatens hominis salivæ & lymphæ contactu suo quasdam comunicat, fit, ut sal istud in saliva rabidi animalis solutum, quam cum hominis lymphæ homogeneam diximus, in corpus humanum agere incipiat, & similes inibi motus machinetur, æstum sanguini introducat, serum laudabile dissipet, inflammationem, imò gangrænam & sphacelum post se relinquat, & quoniam natura, aut secundum alios agens, in corpore nostro ab ejus destructione abhorret, ipsam exsuscitat hydrophobiam s. liquidorum aversionem, ne per liquida assumpta salia solvantur & agant magisque augeantur. Quòd verò humidum blandum deficiat, & ingens inflammatio subsit, id testantur hyprophoborum sectiones, quarum notabilem sistit, Zwingerus D. III. Ephem. Germ. observ. 104. p. 132. *qui in cadavere rustici, hydrophobia secundo mense post acceptum à rabido cane vulnus correpti & extincti, tam exterius invenit & vidit in humero & scapula sinistri lateris, ut & in reliquo dorso gangræne & sphaceli indicia, tum in intestinis & stomachi tunicis, præcipuè circa orificia utraque, rubicundas maculas ceu totidem inflammatiuncularum signa, thoracis cameram undiquaque sanguine suffusam, ex rubore livescentem, pulmonem inflammatum &c.* ut adeò inde pateat, quòd in hydrophobis sanguis concretus & feri defectus deprehendatur.

§. XXII. Ut denique rabie & hydrophobia detentis medela afferatur, non alia nobis ineunda est curandi via, quam per remedia alexipharmaca, balsamica, & siquid hic effectu dignum sperandum, in theriacalibus & bezoardicis vel maximè quærendum. Eò itaque enitendum, ut sal istud fixum virtute sua privetur & elutrietur, nec non lymphæ ac serum laudabile restituatur. Supracit. Lentilius s. vadet usum *olei amygd. dulc.* aut hujus loci *cannabini* in quantitate notabili corporis humectandi gratia per os, & si aliter fieri non posset, vi ingerendi; nec id sine ratione, cum salia in oleo non solvantur; simulque *clysteres*, in quibus *sal. volat. copia soluta & quibus nonnihil theriacæ* addi posset, commendat. Unum ut adhuc tangam, Sim. Pauli in opere suo quadripartito botanico p. 244. refert, quòd ingens

præsidium in centaurio minore tanquam specifico in curandis canis rabidi aliarumque venenatorum animalium moribus collocetur, hinc unâ descriptionem alexipharmaci, quod centaur. minus ingreditur, quo Jul. Palmarius in hujusmodi affectibus usus fuit, adducit, quorsum Lectorem remitto. Aliàs etiam principium istud activum terrore injecto invertere tentant.

§. XXIII. Specialem jam inter morbos mentis considerationem mereretur affectus curiosus at rarus, rabiei cognatus sed nisi in Apulia cognitus, Tarantismus dictus, quem verbo saltem tangere animus est. Datur certum phalangii genus in dicto loco, quod tarantulæ nomine venit; hæc certo anni tempore, ut mensibus Junio, Julio & Augusto, hominibus, si ipsos attigerit, nocentissima existit, cum mentis alienatio & delirium musicum inde prognascatur: reliquo verò tempore dicitur esse innoxia. Cujus quæ sit ratio, putat Celeberrimus Albinus in sua Diff. de Tarantismo, quòd tunc temporis *totus sanguis omnesque humores in fermentum abeant, & veneni naturam assumant.* Ad quòd, nî fallimur, ætheris s. æris atmosphaerici temperies sanè quàm multum facit, ut talis morbus s. potius talis fermentatio in dictis animalculis contingat, quod sanè non de nihilo est, cum tota die videamus, diversos pro varia solis ad tellurem nostram relatione morbos generari, quo fundamento & ipsius Hipp. de certis tempestatum morbis nititur doctrina. Cæterum curiosum est, quòd iste affectus musica demulceatur & remittat.

§. XXIV. Ultimò superest, ut in Narcoticorum drastricticam vim, cujus supra meminimus, inquiramus, & quæ inde noxæ in corpus humanum & mentem transeant, discutiamus: Narcoticorum s. dictorum stupefacientium naturam examinaturi, advertimus illa maximam partem gaudere sulphure quodam crasso, vaporoso, resolubili, quod intra corpus assumptum motum sedare apprimè valet. Modus verò agendi narcoticorum consistit in eo, quòd vaporosa sua substantia motum intestinum vehementer adaugeat, & sanguinis partes dislocet & displodat, qui sic disjunctus impellitur in ipsa capillaria cerebri

bri vasa & majus spatium affectat, quo fine dum excidit, cerebri poros obstruit, qui si fuerint obstructi, requisita subtilissimorum corporum instar ætheris radiativi seu spirituum quantitas ad & in organa ablegari nequit, sicque cessat motus, sensus confident, memoria sublabitur, mens hebescit, uno verbo, dum tubuli & nervi cerebri sero obducuntur & obstruuntur, debitus spirituum influxus ad organa, queis sensus & motus peragitur, non sequitur, cumque mens in naturali statu constituta ideas per organa ritè adaptata sibi transmissas conferat, & inde judicium formet, hic quasi feriari dicenda est, dum organa ob spirituum denegatum influxum non amplius in eo statu sunt, ut objecta recipere & deferre valeant, & sic quævis actiones torpidæ evadunt. Quòd verò pori cerebri à narcoticis obstruantur, docet illorum, qui his occubuerunt, anatome, quandoquidem cortex cerebri serò obvolutus deprehenditur. Hæc genesis, hæc ratio est, quæ nituntur quivis affectus soporiferi, in quibus actiones animales torpescunt, & homines sopore profundo tenentur. Cum enim narcotica sensum ac motum labefactent, necessariò sequitur, quòd illa spiritus ligent; i. e. irradiationem organorum à spiritibus interceptant, stupefaciant & consopiant.

§. XXV. Cum ergo tanta narcoticorum deleteria virtus sit, ut, dum tubulos cerebri vappido latice involvit, circulatio humorum impeditior reddatur, & organa sensuum ac motus vitientur, mens verò munere suo rectè defungi nequeat, conceptu jam facilis erit omnium narcoticorum, ut hyoscyami, nicotianæ, mandragoræ, cicutæ &c. quæ venenosa qualitate stuporem, lethargum ac veternum inducere solent, operandi ratio. Hinc est, quòd solanus sylvaticus stuporem ac lethargum inferat, cujus lethalitatis etiam mentionem faciunt Petrus Pena & Math. de Lobel in novis stirpium adversariis. *Quatuor aut sex bacce belladonæ s. solani somniferi devoratae dementant & in furorem agunt, adeò ut demoniaci facti videantur. Inducunt tamen plures sumentes in veternum: nam & pueros quosdam ex harum baccarum esu mortuos scimus, qui discriminis ignari eas uvæ vice devo-*

devorârunt. V. Math. in Dioscor. p. 756. De *furore excicuta producto* V. eundem pag. 988. *Confectio Anacardina* teste Hoffmanno *furorem inducit*. Maniam ab esu belladonæ inductam testantur observationes, quæ etiam à fructibus & acinis solani furiosi oritur. De *aconiti* drastica virtute V. Mathiol. in Dioscor. pag. 986. His denique annumerari merentur *Opiata*, quæ æquè *πάρεσις* ac sensuum abolitionem inducunt; post horum enim abusum angustia majores, respiratio difficilis & paroxysmorum pertinacia observatæ fuerunt. Quòd verò in nonnullis mania oriatur, est, quòd sero per sulphur illud vaporosum inspissato, & sanguine in vehementem motum adacto, crassi copiosique spiritus generentur, ut inde objecta perturbatè in cerebri vestigia irruant, menti confusè sistantur, & sic minus rectè ab ea connectantur, ut adeo homo delirium pati dicatur. At verò si ipse motus vehemens continuetur, tunc demum spiritus deficiunt, & ipse sopor succedit: & hæc est ratio, quare maniaci facile iterum provolvantur in melancholiam s. affectus soporosos, ut stupidi, hebetes ac fatui reddantur, cum sanguis terrestris, crassus & lentus poros cerebri obstruat & circulatio ejus valde infringatur: Ut adeo vigor mentis cum humorum constitutione eorumque circulatione quam maximam convenientiam habeat, & inde cum prudentia, tum stultitia hominis (non autem hic loquimur de ista stultitia, quæ ab incunabulis profecta totam vitam comitari solet, & pravam cerebri conformationem agnoscit, sed de illâ, quæ magis temporaria est, & sublata causa iterum discedit,) derivanda veniat: & ut brevis sim, tam *εὐταξία* quàm *ἀταξία* mentis, quæ nihil aliud est quam bona s. perturbata facultas res per organa transmissas conferendi, connectendi & inde judicium componendi, ex circulo sanguinis dependet.

§. XXVI. In hac itaque tota nostra se dimisit disputatio, ut ostenderemus, quàm arctum menti cum corpore intercedat vinculum, & qui sit habitus ac *σχέσις* actionum mentis ad sanguinis orbitam, & qui hac temerata morbi mentis producantur. Cum enim sanitas totius corporis consistat in æquabili, blan-

blanda & libera humorum circulatione, sic non minus cerebri & capitis, & quod in eo residet, mentis robur à blando humorum circulo virtute istius conjunctionis deducendum erit. Quorsum gravis Hipp. respexisse videtur, ubi ait; *quo tempore cerebrum conquiescit, homo etiam sapit*. Dignitas equidem hujus materiæ fusiores tractationem postulasset, præprimis si ad morbos mentis morales excurrere voluissemus, at cum *σύννοση* saltem & *σχῆμα* morborum mentis, quatenus ad medici scopum pertinent, exhibere animus nobis fuerit, ulteriorem & solidiorem illis,

Quæis meliore luto finxit præcordia Titan,
relinquimus disquisitionem. Interim confidimus, quemq; satis persuasum esse de veritate hujus nostri asserti, cum non solum mores animi secundum Galenum corporis temperamentum, sed & ipsa animi pathemata sequantur cursum sanguinei fluxûs. Quare exinde concludo, qualis sanguinis circulus, talis quoque cerebri temperies, & qualis cerebri temperies, talis mentis est status, ut adeò mentis & corporis vigor & imbecillitas ex sanguinis orbem subeuntis scaturigine fluat emanetque. Et ne ullum amplius remaneat dubium, obsignabit præsens *σχέδιασμα* eique maximum pondus addet ipsa veritas, quæ nobis in S. Scriptura affulget, Sap. 9. v. 15. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

§. XXVII, In calce demum paucis tangamus tuendæ sanitatis & diætæ rationem, quò & corpus & mens hominis benè valeant, cum *prudentiali victus ratione & melior & deterior fiat*. V. Hippocr. l. de vict. ratione sect. 4. lib. 1. Quapropter ante omnia in quovis temperamento & quâvis ætate proportionatum commendamus motum & modum, qui duo sunt fulcra conservandæ sanitatis. Hinc quoad posterius minimè veritati repugnat, quòd *frugalitas producere possit senectutem*. v. Senec. Ep. 58. imprimis verò regula hæc tenenda est iis, qui facile mo-

ventur. Commotiones animi temporis prorogatione, doctrinis moralibus & blando colloquio componendæ, nimis profunda & diuturna animi meditatio abrumpenda & honesta refectione divertenda, spirituosâ verò parcâ manu concedenda erunt. Corpori libera quoque semper sit transpiratio, & humores in blanda conserventur fluxilitate; quo intuitu sufficiens potus, at qui magis diuresin promoveat, & tenuis sit, assumendus, & juvat quandoque se nullis adstringere legibus & varium habere vitæ genus. Nihil tandem magis nocuum observatur, quàm subitus transgressus ab uno ad aliud. Hinc semper mihi arrisit egregia Medicorum Antistitis sententia: *paulatim quod sit, tutum, & præsertim si quis ab uno ad aliud transferit*, Aph. 51. Sect. II. Ut verò receptui canamus, hoc concludimus confectario:

Sanguinis æqualem donec servare tenorem
Contendas, animus sanus & æquus erit.

DEO GLORIA!



Nobilissimo Domino Stangio

S. P. D.

PRÆSES.

VAletudo, vita & animus ipse sanguinis motibus omnino respondent: qui si secundum naturæ regulam perficiuntur, anima non modò operationes suas exsequitur aptissimè, verùm & domicilium ejus incorruptum perstat diutissimè, sin minus; morbus, afflictio animi, stultitia, imò ipsa mors ceu infensissimi felicitatis humanæ hostes perfacilè præstò sunt. Tanta vis est in sanguine ejusque motu ac temperie, ut fundamentum ac radix utique sit moralitatis, prudentiæ & prosperitatis in homine. Pulchrè hanc in rem Hippocrates ait: *Sanguis, qui in homine existit, magnam partem ad prudentiam confert.* Et Celsus l. 2. ita loquitur: *animalia fortiora, quibus sanguis crassior, sapientiora, quibus tenuior, tardiora, quibus minimus, hebetia.* Hanc rem jam uberiùs & concinnè satis exponis MI AMANTISSIME STANGIO in dissertatione præsentì. Mentem meam circa hanc doctrinam & fundamentum subministratum tam feliciter assequutus es, & stylo non minùs exculpto quàm rerum & rationum momentis hæc ita confecisti, ut desiderari nihil amplius possit. Biennium saltem & quod parum excurrit, apud nos explevisti, ubi elegantioribus literis cultissimum illud adportando ingenium, intra tam breve tempus tanta alacritate, cupiditate vel potius impetu discendi, solidam doctrinam in Medicis & Physicis nactus es, ut rarum modestiæ & eruditionis exemplum merearis commendari aliis

imitandum. Non possum hinc quin Patriæ certissime spondeam olim virum egregium, qui multos uberesque fructus publico bono insigni cum gloria fit allaturus. Indulgeat divinum Numen & laudatissimos Tuos in studiis conatus omni benedictionis genere ulterius beet atque fœcundet. Vale!

Κύκλος αειδίνητος έόντα τὰ πάντα κυλίνδων,
Τῷ καταγεῖν ανάγων, τῷ δ' ανάγειν κατάγων,
Ποικίλος έν πᾶσιν δύναμίν τε κράτος τε προφάνει,
Τῷτο καθῶς ήμίν δείκνυσι κόσμος ὅλος.
Κύκλος μακρὸς έρᾷ συνεχῶς κινῶντος έκείνον,
Ἄρχή τῷ μικρῷ κ' κύκλος έσι τέλος.
Ἥλιος ὅς κ' πάντ' έφορᾷ κ' πάντ' έπακῃ,
Χαιρέσης ὕπνω νυκτὸς ἄγαλμα καλόν,
Οὐρανίων χορὸς ἄστρον τῷ νιφόμεντος ὀλύμπου,
Χθων, πῦρ, ἀήρ, ὕδωρ· Ζεύγνυσι πάντα κύκλος.
Νῆς σὺν έπισήμαις κύκλω λογικᾷσι φέρονται,
Έγκύκλιον φιλεῖ ζῶντα πάντα φύσιν.
Ἄϊμα κύκλος κάμπτει κ' φλέγμα, χολήν τε, μέλαν τε,
Δὲς μὲν τοῖς νοσερῶς, τοῖς δ' ὕγιῶς διάγειν.
Τῷτ' τὸν τετραγωνισμόν ῥαῖς' αποδείξαι,
Μνημοσύνην έρατὴν κ' κλέος έιχε μέγα.

Ἀνώνυμος.

